DISSERTATIO INAUGURALIS, DE ANASARCA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS HAMILTON,

BRITANNUS.

Prid. Id. Junii, hora locoque solitis.


EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXIII.

Mr. Wilson, from his friend & Jno. McHamilton



CAROLO

DOMINO DE CATHCART,

&c. &c. &c.

Genere nobili,

Virtute nobiliori;

Nec non

JOANNI M‘DOWALL de Logan,

ARMIGERO,

Avunculo praeſtantiſſimo;

Denique,

CAROLO HAMILTON de Ladyland,

ARMIGERO,

Patri optimo cariſſimoque:

Summa cum obſervantia,

Animoque gratiſſimo,

Hancce diſſertationem

Sacram voluit

GULIELMUS HAMILTON.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ANASARCA.

OMNIA corporis animalis cava humore aquoſo madeſcunt, qui, ſive ſub vaporis, ſive ſub guttularum ſpecie, perpetuo in ea exſudatur. Inde imbutae partes facilius inter ſe moventur, nec continua frictione laeduntur.

Cum hic humor ex quavis cauſa in cavis ita congeritur, ut tumorem cum moleſtiae ſenſu adferat, oritur morbus quem Graeci Ὑδρωπα appellarunt, quique apud nos plerumque definitur, " Congeries fluidi aquoſi, major quam natura poſtulat, in quibuſvis corporis cavitatibus facta."

Cum

Cum intra ſaccum vel cavum clauſum ſit congeries, morbus vulgo Saccatus dicitur; ſed aliis quoque notatur nominibus, ſcil. ex cavo affecto deſumptis.

Si vero ſub tegumentis ſit, Diffuſus appellatur, propterea quod humor, non una contentus ſede, ad libitum undique pererrat. Haec autem eſt hydropis ſpecies, de qua, ſub Anaſarcae nomine, hic diſſerere ſum conaturus.

SYNONIMA.

Anaſarca, ſic dicta quoniam aqua per carnem ubique circumfertur.

Leucophlegmatia, ex pallore qui cuti inducitur, &c. &c.

CHARACTER.

Corporis intumeſcentia mollis, inelaſtica, vel premente digito foveolam admittens.

Quo

Quo melius pateat hujus morbi natura, primo loco difquirenda videtur fedes morbi.

SEDES MORBI.

Ex ipfa definitione conftat, aquam alicubi fub tegumentis accumulari. Vix accumulari poteft intra mufculorum corpus, quippe quorum vel minima actio eam inde exprimeret; nec in aponeurofibus mufculorum, quarum ea eft duritia ut nihil alienum facile admittant. Unica quam fere poffit habere fedes eft ea tela quae ubique per mufculos, nervos, vafa fanguifera, &c. infinuatur; et per quam omnes corporis partes, exceptis capfulis claufis, ac quibufdam aliis cavis, plus minus, pro ipfius copia, inter fe nectuntur. Haec eft membrana illa cellularis, cujus maximam copiam proxime fub cute invenimus, quamque natura nobis dediffe videtur ad continendum adipem, quo rite emollita cutis, et reliqua organa muneribus fungendis femper idonea effent.

Conftat

Constat haec membrana ex lamellis tenuissimis pellucidis, ita inter se junctis, ut speciem prae se ferant cellularum irregularium sibi invicem aditum praebentium. Hinc sit, ut quivis aquosus humor effusus ad partes inferiores deferatur; nisi cum arctior et strictior fuerit tela, quam ut aquam perfluere sinat. Et hoc nonnunquam videre licet; non enim pariter ubique abundat, nec eandem semper figuram retinet: Ex qua re originem duxerunt complures anasarcae species; de quibus postea.

Hanc autem telam esse anasarcae sedem hinc certissimo colligimus, quod chirurgi, incisione facta per cutem multorum hoc morbo laborantium, penetrant usque ad membranam cellularem, unde satis magnam aquae copiam saepe brevissimo tempore exhauriunt.

ANA-

ANASARCÆ UNIVERSALIS DESCRIPTIO.

Cum anaſarca ex cauſis generalibus oritur, initium ſumit a tumore pedum ac malleolorum ſub veſperum; praeſertim ſi aeger diu ſteterit, vel multum ambulaverit, vel pedibus pendentibus ſederit. Si vero lecto proſtratus per noctem recubuit, hic tumor ante lucem vel omnino evaneſcit, vel ſaltem minor fit; atque tunc facies parteſque ſuperiores intumeſcere videntur. Sub diei exitu tumor iterum, relicta facie, ſi aeger lecto non fuerit affixus, pedibus malleoliſque redditur. A pedibus ad genua, femora, coxas, &c. progreſſus, tandem toti corpori obducitur; partibus inferioribus majorem ſemper retinentibus tumorem quam ſuperioribus: Aqua enim preſſa gravitate ſua ima petit, adimplens cellulas cutemque, quarum vis ac tonus magis magiſque indies minuitur.

Tandem

Tandem ita diſtrahitur cutis, ut per poros ejus cuticulaeque aqua interdum viam ſibi quaerat. Si vero impervia ſit cuticula, a cute divellitur, atque in veſiculas allevatur, quibus ſubito diſruptis, multum aquae a cute profluit, superveniente ſaepius gangraena. Interdum etiam diſrumpitur cutis ipſa, quod idem ſequitur effectus.

Aliquando occurrant maculae purpureae et ſugillationes cutis. Vis ſentiens adeo exilis evadit, ut aegri inconſcii cutis aduri poſſit. Calor a cute ita receſſit, ut aëris circumambientis calorem, ne adhibito quidem thermometro, exſuperare videatur. Tanta denique inducta eſt debilitas, ut propria mole degravatus aeger vix corpus levare artuſve movere poſſit.

Cum hactenus proceſſit anaſarca, membrana cellularis, quae viſcera ambit, tantam vim morbi omnino repellere nequit; unde varia ſymptomata, ut anxietas, anhelatio, &c. &c.

Hic eſt naturalis hujus morbi progreſſus, cum ex cauſis generalibus ortus gradatim adaugetur.

adaugetur. Sed has leges non ſemper ſequitur: Occurrerunt enim quorundam exempla, quos vel unius noctis ſpatio totis viribus invaſit. Haud abs re erit unum ex Sauvageſio in medium protuliſſe.

'Tertia morbi die ruſticum inviſebam qui 'obſidebatur tumore molli per totum corpus 'diffuſo; referebat ille ſe poſt meſſem fac'tam ſanum recubuiſſe; mane vero ſequen'ti ſurgere non potuiſſe propter corporis in'tumeſcentiam *.'

ANASARCA TOPICA SIVE PARTIALIS.

Relicta anaſarca univerſali, videamus qualis ſit topica ſive partialis. Nam, etſi ea eſt membranae cellularis ſtructura, ut humori undique vagari plerumque liceat; interdum tamen aliter rem evenire videmus. Si enim minor effundatur aquae copia, quam ut totum corpus obruere poſſit, partem aliquam vel

* Sauvages Noſol. Methodic. tom. 2. pag. 472.

vel membrum occupabit: Vel, ſi paulo ſtrictior ſit tela cellularis, ut aquam tranſire vetet, eam intra fines cohiberi neceſſe eſt. Talia hujus morbi phaenomena, quatenus ab anaſarca generali diſcrepant, ejuſdem ſpecies vel varietates denotare videntur.

I. Phlegmatia Clariſſimi Sauvages, quae harum ſpecierum praecipua et longe frequentiſſima eſt, ab anaſarca generali haud aliter diſtinguenda videtur, quam quod in artubus inferioribus locum ſibi poſuerit. Neque quidem quiſquam temere ignorat, anaſarcam a phlegmatia fere ſemper initium ſumere, niſi cum inuſitata ſaevitia furens in totum corpus ſubito irruit.

II. Hydrocephalus externus. Hanc ſpeciem exhibet anaſarca, cum aquae libera deſcendendi facultas non datur, propter exilitatem telae cellularis, ideoque arctiorem cutis cum aurium muſculis nexum.

III. Hydrocele externa, quae anaſarcam generalem et aſciten ſaepiſſime comitatur. Scrotum, cujus ſtructura laxa celluliſque referta eſt, in miram quandoque creſ-

cit

cit molem; et propter pendentem ſitum, humor, niſi materies aliunde detur, haud latius divagari ſolet.

IV. Angina aquosa Boerhaavii quoque inter anaſarcae ſpecies merito recenſetur.

Aliae ſunt denique corporis partes hujuſmodi tumoribus obnoxiae, ut manus, brachia, &c. &c.

DE CAUSIS ANASARCÆ.

Duo ſunt vaſorum genera quibus innititur humoris in corpore noſtro circulatio; majorum ſcil. et minorum. Majora ſanguinem rubrum a corde ad extrema deferunt; iterumque reflexa in cor retroducunt. Minora, quae a majoribus oriuntur, et quae adeo parva ſunt, ut globulos rubros admittere nolint, a reliquo ſanguine tenuiorem aliquam ſive ſeroſiorem partem ſecernunt, quae, ſic jubente natura, vel omnino ex corpore per cutem, pulmones, &c. ejicitur; vel in ca-

va, ſive ſub vaporis ſive ſub guttularum ſpecie, exſudatur. Haec ex ſuo munere *exhalantium* nomen acceperunt.

Ope liquoris ita exſudati, non ſolum omnes corporis partes rite humefactae nullum capiunt detrimentum a frictione, &c. verum inſuper eam tenſionem retinent vaſa quae ſanitati neceſſaria eſt.

Ne hic liquor in cumulum creſcat, neve ſtagnando corpori noceat, natura aliud vaſculorum genus corpori tribuit, quibus illum excipere atque in circulationem reducere mandavit. Horum extremis oſculis in cava patentibus *abſorbentium* nomen eſt datum.

Initio haec adeo ſunt exigua, ut aciem oculorum fugiant. Verum paulatim aucta tandem vaſculorum formam exhibent; quae *lymphatica valvularia* anatomicis appellare placuit. A partibus extremis, ut ſaepe conſpici licet, adverſus cor venientia, liquorem ſuum in ductum thoracicum et ſubclavianam venam ſiniſtram infundunt.

Quamdiu

Quamdiu haec duo vaſorum genera, aequatis ubique viribus, rem ſibi mandatam gerunt, omnia cava accipiunt quantum humoris natura poſtulat, nec nimia copia laborant. Si vero quacunque ratione abſorbentia exhalantibus cedant, adeo ut plus effundatur quam excipi poſſit, humorem in cumulum venire neceſſe eſt: Quod his tribus modis evenire poteſt:

1mo, Aucta exhalatione, non diminuta abſorptione;

2do, Diminuta abſorptione, aucta, vel non aucta, exhalatione;

3tio, Lymphaticorum ruptura.

Omnes hae cauſae ſatis idoneae videntur, quae anaſarcam efficiant. Quantum vero ſingulae revera valeant, et unde originem ducant, nunc ut diſquiramus ordo poſtulat.

AUCTA

AUCTA EXHALATIO.

In quantum augeri poſſit exhalatio, non interea diminuta abſorptione, nequaquam dicere velim. Forſitan aqua copioſius effuſa adverſus venarum abſorbentium oſcula propellitur, eorumque actionem impedit. Sed de hac re, utpote parum nota, nihil affirmare auſim.

Auctae exhalationis plurimae occurrunt cauſae, quarum praecipuas hic recenſere licet.

I. Quicquid venoſi ſanguinis in cor regreſſum impedit; qualia ſunt,

1. Tumores diverſi generis venis incumbentes, eaſve comprimentes; ut ſchirrus, vel alii glandularum tumores; ſteatoma; in foeminis graviditas, vel compreſſio;

2. Fluidorum in cavo congeriem idem ſequitur effectus; ut in aſcite, hydrothorace, &c.;

Eadem

Eadem itaque, quae horum causa est, potest et remota anasarcae causa recenseri.

3. Sanguini redeunti quoque obstat positio corporis in multis, praesertim morbo et evacuationibus debilitatis. Atque enimvero perpauci sunt, quibus non hujusmodi aliquid in sese perspicere licet. Neque enim tempore matutino eadem est crassitudo crurum, quae vespere fuerat, praesertim circa malleolos; quod unde, nisi ex effusione?

4. Plethora venosa orta ex obstructo fluxu menstruo; obstructis haemorrhoidibus; obstructis evacuationibus serosis; e. g. lactis, fluoris albi, &c.

Alia autem est causarum classis cui haec fortasse potius sunt referenda; scil. cachexia et solidorum relaxatio, cum consequenti fluidorum tenuitate; scabies suppressa.

Ratio exhalationis auctae ab impedimento sanguinis redeuntis petenda est ex systemate circulatorio.

Creditur arterias undique vasa exhalantia a se dimittere, et arterias ipsas tandem in venas transire. Si quid igitur iter per venas

venas occludat, arteriis continuo fluentibus, arterias minores dilatari oportet: Unde major fit impetus in exhalantia, quae idcirco majorem solito copiam effundunt. Manente autem causa, manet et effectus.

II. Impedimentum in excretoriis.

Neque vero hinc saepe augetur exhalatio, nisi cum excretoria aliquo modo cum exhalantibus nectantur. In plurimis corporis partibus creditur arterias in venas, exhalantia ductusque excretorios transire. Si quid igitur ductibus excretoriis obstat, exhalantia latius distendi necesse est: Quod fortasse fit in angina aquosa et hydroglosso.

III. Si ex quavis causa augetur arteriarum impetus, venis interea repugnantibus, humor, aliter transire vetitus, viam sibi per exhalantia quaeret. Hoc venit praecipue ab externis injuriis, ut torsionibus et contusionibus; quae quidem nonnunquam referri fortasse debent tertiae causarum classi, nempe, lymphaticorum rupturae.

IV.

IV. Exhalantium relaxatio.

Num haec revera effusionem unquam induxerit, non comprobare possumus. Si exhalantibus vim muscularem concedimus, datur exinde aliqualis explicatio anasarcae, quae in paralyticis alicujus membri partisve affectionibus occurrit; scil. paralysi ad arterias et ipsa exhalantia pertingente. Sed hoc, quoniam nullis certis argumentis nititur, in medio relinquere tutius est: Praesertim cum hujusmodi anasarcae aliunde offertur causa; nempe, ex debilitate, quae arterias sanguinem propellere, venasque reportare, prohibet. Quare sanguis, ipsius pondere moleque depressus, in exhalantia majori impetu ruit.

Anasarca, quae generalem comitatur paralysin, plane referenda est ad debilitatem, et solidorum atoniam, cum fluidorum tenuitate.

V. Nimia humoris aquosi proportio interdum exhalationem augebit, iisdem etiam manentibus vasorum diametris; idque his quatuor modis:

1. Nimia

1. Nimia aquae copia in ſanguinem admiſſa.

Quanta celeritate hic humor effluere poſſit, clare oſtendit experimentum doctiſſimi Hales, qui per ſyringa certam aquae quantitatem in canis jugulares venas injecit, qui, poſt ſpatium circiter unius horae, hydropicus eſt factus. Hinc ex inſolita aquae ſanguini adjectae copia oriturum hydropa colligimus.

Neque tamen idem neceſſario ſequitur, ſi per ſtomachum admiſſa fuerit aqua, niſi impedimentum aliquod dederit ,[redacted] cutis, vel vaſa urinaria; aut niſi quis diu aſſuetus fuerit tenui aquoſo victui, qui parum nutrimenti praebet.

2. Humoris aquei retentione.

Nemo eſt qui neſcit longe maximam alimenti noſtri partem rurſus e corpore per vaſa excretoria ejici. Ad hunc finem pulmones cutiſque imprimis prodeſſe videntur. Si horum excretio ex quavis cauſa ceſſat vel minor fit, humor ultra quam fas eſt cito colligetur; qui, niſi pariter aucta fuerit evacuatio,

evacuatio per vaſa urinaria et viſcera, per ipſa exhalantia, effugere conabitur.

Huic excretioni obſtat frigus, quale in exemplo tradito ſupra *; frigus poſt adhibitum mercurium; relaxatio et debilitas a paralyſi generali inducta, unde multum minuitur perſpiratio.

3. Fluidorum denſiorum, praeſertim ſanguinis, abſtractione; ut in haemorrhagiis et venaeſectione. Hinc anaſarca ſaepe ſequitur menorrhagiam et haemoptyſin, vel copioſas per venaeſectionem evacuationes in morbis inflammantibus, praecipue pleuritide et peripneumonia.

Nimia lymphae coagulabilis, aeque ac globulorum rubrorum, abſtractio eundem edit effectum. Hinc ulcerationes profuſas, fluorem album, diarrhoeam, et dyſenteriam, ſi diu perſtiterint, anaſarcam generare vidimus.

Cujus rei hanc explicationem proponimus.

* Pag. 7.

Si animo concipiamus corpus humanum ſub imagine machinae hydraulicae multis trajectae foraminibus, per quae diffluunt humores diverſae denſitatis ac tenacitatis; ſi porro talia ponamus haec foramina, ut tenuiores facile, denſiores vero aegre admittere velint; difficile eſt intellectu qua ratione partes tenuiores omnino effugere prohibeantur. Retineri videntur a commixtione cum denſioribus et tenacioribus, quae eas adeo implicant, ut evadendi facultas non concedatur. Si autem hujus retinaculi, ſcil. ſanguinis rubri lymphaeque coagulabilis, pars quaevis abſtrahatur, nihil obſtat quo minus et tenuiorum pars aliqua extra circulationem evagetur.

4. Fluidorum denſiorum diſpendio, ex cauſis internis orto; e. g. ex diuturno morbo, praeſertim typho, febri intermittente, &c.

Obſervatione quotidiana compertum eſt, ſanguinis rubri quantitatem interdum majorem, interdum et minorem fieri, nulla praecedente, quantum novimus, evacuatione

praeter

praeter ſolitum. Hinc inferre licet, naturam nobis vim indidiſſe ſanguinis tum augendi tum minuendi, prout res poſtulat. Res itaque eodem fere recurrit quo in ſect. ult. nempe, in fluidi denſioris abſtractionem. Debilitas, in utroque caſu inducta, organorum aſſimilantium tono, et univerſo ſolidorum ſyſtemati, nocet: Unde ſanguis circulans majore quam ſolita ſeri proportione attenuatur.

Enumeratis compluribus anaſarcae cauſis ab aucta exhalatione ductis, nunc diſquirendum quales a ſecunda cauſarum claſſe veniant, ſcil. a diminuta abſorptione.

DIMINUTA ABSORPTIO.

In quantum diminuatur abſorptio, non ſimul aucta exhalatione, non noſtrum eſt dijudicare. Veriſimile autem eſt, cum anaſarca viribus incitatis ingruit, tum augeri exhalationem, tum minui abſorptionem.

Cauſarum

Causarum hunc morbum a diminuta absorptione gignentium duo constitui possunt genera.

I. Obstructio vasorum lymphaticorum orta a tumoribus ea comprimentibus; a struma, &c. glandulas lymphaticas obturante.

Si lymphaticorum ex quacunque causa occludatur iter, exhalantibus interea propriam quantitatem continuo effundentibus, fluidum in cumulum venire necesse est. Hoc vero rarius accidere potest, nisi fuerit lymphaticorum majorum vel glandularum obstructio perquam generalis. Natura enim, saluti nostrae prospiciens, ab hoc malo nos munivit, frequentes instituendo lymphaticorum anastomoses, quae plerumque divisionem rursus patiuntur, priusquam in glandulas ingrediantur.

II. Absorbentium inertia et debilitas,
Ut ex paralysi.

Si contractione et relaxatione alterna munus suum exsequantur absorbentia, anasarca,

ca, quae membrum paralyſi affectum invadit, partim a diminuta abſorptione venire poteſt. Sed de hac re in tenebris verſamur; nec ex tam incertis principiis ullum curationis indicium inferre debemus. Poſtremo, hic morbus rarius oriri videtur ex abſorptione diminuta; rariſſime autem omnium ex proxima, quam inſtituimus, cauſarum claſſe, nempe, lymphaticorum ruptura.

LYMPHATICORUM RUPTURA,

Quam unquam anaſarcae cauſam per ſe extitiſſe vix affirmare auſim. Occurrerunt equidem nonnulla lactealium rupturae exempla, unde inferre licet hydropa ex hac cauſa oriri poſſe. Neque vero abſimile videtur, anaſarcam, quae contuſiones aliaſque injurias externas ſequitur, interdum a lymphaticorum minorum ruptura originem ducere. Sed hoc nullibi probatum vidimus.

PROG-

PROGNOSIS.

Prognoſis in anaſarca plerumque benignior eſt, quam cum aqua in ſacco vel cavo clauſo congeritur:

1mo, Quod cauſa raro eſt adeo recondita, ut eo pervenire nequeant medicamina; niſi cum alicui diverſi generis hydropi adjuncta fuerit; et tum benigna vel maligna erit prognoſis, ſecundum qualitatem cauſae morbum generantis.

2do, Quod ſedes morbi noſtrae poteſtati ſubjicitur, magis quam ſit in omnibus fere reliquis hydropis generibus; ideoque medicamenta propius parti affectae admoveri poſſunt.

3tio, Quod aqua ſuperficiei late patenti obducta facilius abſorptione exhauritur, quam quae in cavo aliquo majori congeritur.

ME-

MEDENDI METHODUS.

Cum animadvertimus quam variae ſint anaſarcae cauſae, quamque ſibi invicem repugnantes, manifeſtum eſt, vel primo adſpectu, ſanationis indicata pariter oportere eſſe varia; nec ullum medicamentum, quod hactenus eſt inventum, vel in poſterum fere unquam invenietur, ad hunc morbum in univerſum auferendum per ſe ſufficere. Nam, ut cauſas a diminuta abſorptione et lymphaticorum ruptura oriundas praeteream; quotuplices ab aucta exhalatione ſola veniunt? Quam variae, ideoque varias medendi rationes poſtulantes? Interdum morbus innititur venarum obſtructioni; interdum ſolidorum laxitati cum ſanguinis tenuitate.

1. Si a ſchirro vel alio quovis tumorum genere venis incumbentium pendet morbus, ut probe inſtituatur cura, hi ſunt tollendi.

Idem eſt faciendum, cum talis occurrit fluidorum congeſtio qualis in aſcite. Quum primum

primum enim educitur aqua, oedema plerumque cedit.

2. Cum anaſarca venit a plethora venoſa, minuatur moles ſanguinis, vel partem aliquam ex venis eliciendo, vel evacuationes ſuppreſſas reſtituendo, unde orta eſt plethora.

3. Cum ab inflammatione, vel calculis concretis vaſorum excernentium iter occludentibus, dimoveatur obſtaculum, quodcunque fuerit, remediis ei rite adaptatis.

4. Cum ab aucto arteriarum impetu, ut in torſionibus et contuſionibus, obviam itur morbo hunc impetum intra fines coercendo, et linimenta emollientia parti affectae affricando.

5 Exhalantium relaxatio cauſa eſt adeo incerta, ut nullam certam medendi rationem indicet. Quod autem attinet ad anaſarcam in paralyticis affectionibus occurrentem, cura primarium morbum praecipue ſpectare debet.

Has anaſarcae cauſas, utpote interdum occurrentes, et medelam ſingulis accommodatam,

datam poſtulantes, attigi tantum, quoniam omnino praetereundae non videbantur. Reſtat alius hujus morbi fons omnium longe uberrimus, nempe, ſolidorum atonia cum fluidorum tenuitate, orta ex cauſis ſupra Auct. Exhal. V. 1. 2. 3. memoratis. Hujuſmodi anaſarca praecipue indicat,

1mo, Ut reſtituatur ſolidorum tonus.

2do, Ut evacuentur aquae.

Si priori harum indicationum operam rite impenderimus, certius ac facilius alterius ſcopum attingemus; Quippe ſola tonicorum ope ſaepe effecta eſt ſanatio. Forte tamen omnium laetiſſimus dabitur eventus, ſi utramque rem ſimul aſſequi conemur.

Ad reſtituendum ſyſtematis tonum et craſin ſanguinis imprimis valent;

I. Exercitium, qualis vectio in rheda, equitatio, ambulatio. Sedulo tamen cavendum ne haec, ultra quam bene ferre poſſit aegrotus, adhibeantur. Eorum enim nimius uſus nullum adferet emolumentum; ſed, e contrario, quam plurimum nocebit;

debiliorem reddet aegrotum, dum tamen novas morbo vires miniſtrabit. Si itaque tanta ſit debilitas, ut hujuſmodi exercitia non admittat, ſubſtituatur frictio; cui uſui optime inſervit pannus e lana confectus.

Exercitatione promovetur digeſtio; augetur ſanguinis momentum; adjuvatur denique excretio, praeſertim ea quae per cutem et pulmones perficitur. Aliae quidem ſunt excretionis augendae rationes, quas poſtea memorabimus.

II. Victus.—Victus pro maxima parte boni debet eſſe nutrimenti. Anteponatur vero, quantum concedi poteſt, quod aegroti ſtomacho eſt gratiſſimum. Panis bene fermentatus, carnes boni ſucci, carniumque coctarum jus, plerumque in primis huic morbo conveniunt.

Talis ſit potus, qui roboret et urinam ſimul promoveat. Vinum generoſum, ſpiritus ardentes, aromaticis imbuti, aqua permixta: Neque haec tam parce ſunt permittenda, ut aeger perpetua ſiti doleat.

III.

III. Tonica, quae cum remediis jam memoratis ſaepiſſime proſunt. Optima ſunt cortex Peruv. et chalybs.

SECUNDA INDICATIO.

Secundae indicationis eſt, ut educantur aquae.

Remediorum ad hunc finem ſpectantium duo conſtitui poſſunt genera, nempe,

I. Topica, ſive quae parti alicui externae adhibentur.

II. Remedia vaſorum excernentium vim ſtimulantia et augentia.

I. Topicorum itidem duo genera, nempe epiſpaſtica et inciſiones.

Rarius laudatur horum uſus, praeſertim epiſpaſticorum, ex metu gangraenae; quae quidem haud pariter eſt metuenda ab inciſionibus, quamvis has quoque interdum ſequitur. Neque tamen idcirco penitus rejiciendum eorum ſi quid auxilium. Cum enim adeo proceſſit anaſarca, ut cuticula in veſiculas

vesiculas erigatur; hae, si disrumpantur, haud minus afferunt gangraenae periculum, quam si adhibita fuissent epispastica; si vero disrumpatur cutis ipsa, multo majus periculum, quam si facta fuisset incisio.

Cum totum corpus anasarca obtegitur, praestat incisionem instituere propius ad partes superiores, deinde ad inferiores paulatim descendere, prout evacuantur aquae. Hinc levius gangraenae periculum; et insuper moderatius educentur aquae, quarum nimis subitus effluxus interdum aegrorum vires exsuperat mortemque accelerat. Quare teneat pars, quae incisionem passa est, situm quem horizontalem dicimus; et, dummodo res postulat, adhibeatur fascia et emplastrum; denique illinantur incisionis orae unguento.

II. Remedia excretionem excitantia.

Secunda indicatio praeterea monet excretionem augendam, perspiratione, urina, &c. atque ita humorem ab exhalantibus avertendum.

dum. Cui usui inserviunt sequentia, nempe,

I. EMETICA.

II. SUDORIFICA.

III. DIURETICA.

IV. CATHARTICA.

I. EMETICA.

Quum spontaneo vomitu interdum effecta est sanatio, cujus rei exemplum recitat Celeberrimus noster Cullenus; hinc suggeritur emeticorum usus. Idem tamen effectus, qui vomitum spontaneum sequitur, ab artificiali haud exspectandus est; quamvis hic quoque nonnunquam hydropicis profuit.

Vomitu, fere magis quam aliis quibusvis remediis, exitatur vis absorbentium; atque ita in circulationem revocatur vagus humor, licito deinde exciturus itinere, scil. per cutem, urinaria, &c. Et, si locus suspicandi detur, mediastinum vel mesenterium morbo

bo tentari, haud parum valebit vomendi actio ad aquam inde, si qua congeritur, expellendam.

Rarius tamen emeticorum ope in portum optatum pervenire conceditur: Plerisque enim aegrotis desunt vires, quibus eorum impetum sustinere possint.

II. SUDORIFICA.

Indicantur sudorifica utpote serosam evacuationem, omnium fere copiosissimam, excitantia. Quum tamen res sit in primis difficillima sudorem in anasarca elicere, et quum idcirco sudorifica sunt admodum incerti eventus, rarius huc recurrere solent medici. Si vero hujusmodi quid tentare cuiquam placeat, caeteris anteferenda videntur Laconicum vel Doveri pulvis.

Quamvis fere nunquam adhibeantur sudorifica, haudquaquam negligendus est calidus vestitus, utpote perspirationi augendae in primis utilis.

III. DIURETICA.

Haec ſudorificis uſu anteponunt medici. Vix tamen ulla novimus, quorum omnino certa operatio. Notiſſima ſunt colchicum, ſcillae, allium, ſales alkalini fixi.

(A) Colchicum.—Hoc medicamentum ſummis laudibus effert Storkius; de cujus tamen utilitate admodum diſceptant medici. Saepe quidem parum prodeſt; veruntamen, ſi probe memini, in Noſocomio Edinenſi nonnunquam ſatis feliciter adhibitum vidi.

(B) Scilla.—Hae, ſi emeticae virtutis oblitae diuretice operentur, optimos edunt effectus. Debet autem dari parva doſi ſaepius repetita.

(C) Allium.—Rarior hujus uſus. Si quid prodeſſe velis, detur haud parca doſi ſolidis nucleis.

(D) Sales Alkalini.—His parum fides habenda, quippe quorum omnino incerta operatio. Saepe nauſeam adferunt; nec

nec ſemper exhibent vim diureticam; forte ſi cum acido in ſtomacho congrediantur.

IV. CATHARTICA.

Olim laudabantur cathartica quaedam hydragoga dicta, quibus neſcio quam vim aquae attrahendae ineſſe credebatur. Inter haec principem habebant locum elaterium et gambogia; quae hodie propter acrimoniam rarius tentare audent medici. Pro his adhibentur cathartica fortiora, jalapa, mercurius, antimonium: Et ruper pari fortuna admiſſa ſunt mitiora, quorum optima videntur chryſtalli tartari et tartarus regeneratus.

In Noſocomio Edinenſi cum ſumma felicitate dari ſolent chryſtalli ſatis magnis doſibus, nonnunquam ad tres uncias quatuor viginti horis.

Chryſtalli vi tum cathartica tum diuretica gaudent; et, Fothergill teſtante, tartarus regeneratus eoſdem edit effectus.

Medi-

Medicamina, quae hactenus laudavi, saepe nec infeliciter adhibentur conjuncta haec cum illis, scil. sudorifica cum catharticis, vel cathartica cum emeticis.

Aliquando etiam datus est mercurius, tum purgandi tum salivationis excitandae causa.

Cum anasarca venit a causis V.—2. memoratis; si modo adhibeatur tempestiva cura, opus erit fere nihil aliud, quam ut se calidum servet aeger, et sumat paucas chrystalli tartari doses. Si vero obtineat cutis strictura cum celeri pulsu, ut interdum fit, mittendus sanguis et adhibenda fomenta, praesertim si aeger sit plethoricus.

De reliquis causis adeo parum constat, ut nulla medendi ratio exinde inferri possit.

FINIS.